



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 48. Societas ad Itatinensem provinciam Christo subjugandam  
invitatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

*Trecenta  
cymba dif-  
fracta.*

*Ignatius  
Martines  
submergi-  
tur.*

**CAPUT  
XLVIII.**  
Societas ad  
Itatinensem  
Provinciam  
Christo  
subjuga-  
dam invi-  
tatur.

*Primi Itati-  
nensi Pro-  
vincia ex-  
ploratores.*

gium evalura, si à profluente rapi, & ex summitate præcipitii in ejus hiatum labi sinerentur. Quia tamen omnia tentamenta adhibenda erant, pænè omnes cymbas onere levatas solutasque fluvio commisère: quæ ubi ex alto præcipitio cadentes voraginibus & scopulis exceptæ sunt, in minutissimas partes diffractæ momento temporis disparuère. Altera spes erat, si nempe ex Paranensibus Neophytorum nostrorum oppidis navigia ad præcipitii radices adducerentur: sed magna ex parte ea spes etiam fecellit, Sociorum Paranensium coriphæis ad provincialia comitia Córdubam evocatis. Quare valiturum utcumque consilium fuit, exscensione ex præcipitio terrestri itinere factâ, in planis locis novorum navigiorum fabricationi intendere. Ad quod præstandum, Ignatius Martines cum aliis Sociis in unum locum evocatus, naufragio factò, sub flumine diutissimè fuit, & cum jam suffocatus crederetur, repertus tandem ab Indis in profundo fluminis: unde eductus affirmavit, nihil se molestiæ aut timoris sub aquis sensisse, nec aliam cogitationem admisisse, quam quod speraret brevè aliquâ ope se educendum. Ubi plerique convenère, ad præcipitii descensum se adornavère, cui rei intentos (nam annus ad finem vergit) tantisper relinquam, eosdem, dum tempori obsecundavero, postliminò revisurus.

**E**O in loco Antonius Ruisius litteras accepit ab Xeresii Hispanorum urbemque magistratu, infimis precibus postulante, ut ad se multis retro annis Sacerdote omninò destitutos, aliquot Socios mittere vellet, Hispanis Sacramenta ministraturos, & circumjacentibus Ethnicorum regionibus profuturos. Non neglecta postulatio est, tum quòd optarent Guairaniæ Socii, ovis suis, spoliati, novas oves Christo quærere; tum quòd Provincialis abiens significarat, Itatinensem provinciam, Xeresii ditioni conterminam, omninò adendum esse. Eò igitur Antonius Ruisius, antequam ad comitia properaret, Didacum Rançonierium, & non multò post Justum Vansurkium Mansillam Belgas, tantæ expeditioni pares, cum mandatis mittit, ut exploratam regionis conditionem ad se rescriberent. Ivère Socii difficili longoque aliquot hebdomadatum itinere; & quæ Dei benignitas est, reperère Apostolicis cultoribus congruentem materiam, pro destructa Guairania successuram. Vansurkius enim rediens Sociis nunciavit, in Itatinensi provincia magnam januam Evangelio esse apertam; & Rançonierius, scriptis litteris, annuebat Sociis, ut in partem novorum laborum venirent. Ex omnibus Patribus Ignatius Martines Italus, & Nicolaus Enartius Lotharingus electi, & ex advecta supellectile campanæ & alia sacrorum instrumenta ad fundanda nova templa oppidaque attributa sunt. Quibus auctus subsidiis Vansurkius, expeditioni præfectus, adverso Paranâ & Miniaio iter relegens, citatis remis se Didaco Rançonierio rursus adjunctum ivit. Quid selectissimi viri ea in regione fecerint, in loco non omittam enarrare.

